

**1999-01-30- SS Ioannes Paulus II - Epistola ‘Fratri Xaverio Lozano Barragán’**

LETTERE DI GIOVANNI PAOLO II AGLI INVIATI SPECIALI ALLE CELEBRAZIONI DELLA VII GIORNATA MONDIALE DEL MALATO (HARISSA, LIBANO, 8-11 FEBBRAIO 1999)

Venerabili Fratri XAVERIO LOZANO BARRAGÁN Archiepiscopo-Episcopo emerito Zacatecensi Praesidi Pontificii Consilii de Apostolatu pro Valetudinis Ministris

Vix ullus Nostro in Pontificatu adhuc praeterit dies quin pastoralem nostram luculenter demonstremus sollicitudinem afflictis de hominibus ac propensum simul peculiarem amorem in fratres et sorores per orbem aegrotantes. Idcirco etiam quattuordecim abhinc annos Litteris Motu Proprio datis Dolentium hominum Pontificium Consilium de Apostolatu pro Valetudinis Ministris instituimus cui numquam non mentis Nostrae singularem tribuimus cogitationem cuique temet ipsum, Venerabilis Frater, duos abhinc annos fidenter omnino praefici censuimus.

Facile hinc intellegitur quam intento studio iam proximam contemplemur congressionem mundialem in “Septimo Universali pro Aegrotantibus Die” quam novimus in dilectissima Libani natione a die VIII ad XI proximi mensis Februarii esse eventuram. Laetissimi pariter argumenta singula ibidem quae tractabuntur cognovimus et colloquia quae habebuntur inter diversarum fidei confessionum participes.

Licet Ipsi ex longinquo Nos singulorum dierum negotia tamquam animo vero praesentes sectaturi simus, tamen iam nunc aliquem destinare placet his in rebus exercitatum pastorem qui Nostra nominatus auctoritate personam ibidem veluti publicam pro Nobis gerat. Te quidem iustissima causa talem animi Nostri interpretem et actuosum consiliorum procuratorem cum esse noverimus, hisce ideo Litteris MISSUM NOSTRUM EXTRAORDINARIUM destinamus ad ritus ipsos aperiendi “Septimi Universalis pro Aegrotantibus Diei”, VIII mensis Februarii Harissae in Libano.

Adstabitis propterea illic pro Nobis omnesque pariter praesentes Nostra veluti voce consulatabis et in praeclaris illius Congressus deliberationibus hortatione Nostra confirmabis, quibus singulis, quo fructuosius prosperiusque eventus contingat, significabis impertitam eodem tempore Apostolicam nostram Benedictionem, quam simul ad Te, Venerabilis Frater, pertinere volumus, simul ad totum illum coetum cui libentes coniungimur et a quo solida ac frugifera pro infirmis adiumenta in Christo Pastore divino exspectamus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Ianuarii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

IOANNES PAULUS II

\*\*\*

Venerabili Fratri Nostro FLORENTIO S.R.E. Cardinali ANGELINI Praesidi Emerito Pontificii Consilii de Apostolatu pro Valetudinis Ministris

Diuturno Nostro in ministerio sacro numquam adhuc fuit tempus quo peculiarem quandam pastoralem nostram propensionem non testificaremur erga conflictatos homines fraternalaque simul coniunctionem ostendamus cum aliis hominibus multipliciter per orbem aegrotantibus. Hanc omnino ob causam, ut probissime novisti, quattuordecim abhinc annos Litteris Nostris Motu Proprio datis Dolentium hominum Pontificiam Commissionem de Apostolatu pro Valetudinis Ministris instituimus cui temet ipsum, Venerabilis Frater Noster, iam Archiepiscopum designatum omnium primum tua pro spectatissima his in rebus scientia consuetudine sollertia praeesse iussimus et idem laudabiliter persequi munus ad recentiora haec tempora, Commissione illa in Consilium Pontificium transformata.

Nemo igitur non facile perspiciet quam attento animo venturam secuturi simus sessionem mundialem studiosorum et peritorum in “Septimo Universali pro Aegrotantibus Die” quam placuit comperire in amatissima Libani terra a die VIII ad XI proximi mensis Februarii celebratum iri. Libentissimi pariter res singulas ibidem quae pertractabuntur cognovimus et collocutiones quae inter variarum confessionum fideles ibidem agentur.

Quamquam Nos Ipsi procul uniuscuiusque diei deliberationes uti vere studio praesentes persequemur, tamen luculentius etiam Personam nostram in tam frugifero conventu exhiberi cupimus ab auctoritatis maximae administro quem te ipsum, Venerabilis Frater Noster, plurimis ex documentis esse novimus. Hac ergo epistula Nostra MISSUM NOSTRUM EXTRAORDINARIUM te constituimus ad sollempnia illa quibus “Septimus Universalis pro Aegrotantibus Dies”, XI mensis Februarii, Harissae in Libano, festive terminabitur.

Praesidebis itaque illic pro Nobis omnesque item adstantes Nostro tamquam vivo sermone salutabis et in exequendis dein eiusdem congressionis utilibus gravibus consiliis Nostra hortatione ac Benedictione Apostolica recreabis, qua iam nunc tibi supernum precamur lumen et singulis per orbem valetudinis humanae procuratoribus validum adiutorium, unde aegrotantes ubique Christum Dominum inter se versari sentiant Ecclesiamque eius suos tamquam matrem communicare dolores.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Ianuarii, anno MCMXCIX, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

IOANNES PAULUS II

